



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Ex dictis, proponitur Idæa miseranda modernis Sectarijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

Ex dictis proponitur Idea miseranda Moderni Sectarij.

1. Imaginatur ille se esse in noua quadam Christi Ecclesia, de qua ignorat, inter tot Sectas, ubi hoc tempore subsistat, aut ubi delitterit per mille quingentos annos à tempore Apostolorum usque ad Lutherum, aut Calvinum.

2. Hanc tamen Ecclesiam imaginariam vult omnibus adeò notam esse, ut quisque debeat relictā Ecclesiā Romanā, & quāvis Sectā, ad eam solam convolare, sicut columba ad Arcam Noe.

3. Per hanc solam, recenter exortam, nullo adhuc signo aut miraculo à Deo comprobata, credit reformandam fidem Ecclesiæ Romanæ, hactenus tot signis, miraculis, testimoniis toto orbe passim receptam.

4. Credit suum Cætum ætate, numero, auctoritate exilem, & vix in reliquo orbe conspicuum, solum tamen præ omnibus sapere, & maiores suos docere, & totam antiquitatis sapientiam, auctoritatem, experientiam illi cedere debere.

5. Profitetur se esse unum ex illis, qui se ab Antiqua Ecclesia segregarunt, neque tamen adhuc inter se convenerunt de Nova Ecclesia, quæ sit una, & communis omnibus ab antiqua Ecclesia segregatis.

6. Agnoscit se numerari inter illos homines, qui post Lutherum & Calvinum jam per centum annos se in varias Sectas formant & reformat, neque tamen ullum habet ille certius signum aut argumentum pro sua Secta, quam pro aliis, quas ipse damnat, & oppugnat.

7. Fatetur se pro norma fidei, & pignore salutis amplecti præ omnibus Confessionem paucorum

310 Tract. 3. Art. 5. Sectarum Singularem  
corum Protestantium, quam constat à reliquis  
Christianis reprobari, neque hactenus abullo  
Concilio generali, aut speciali Dei testimonio,  
aut ullius miraculi iudicio confirmatam esse.

8. Confidit salutem suam novo & exquo ho-  
minum Cætui, qui pro Regula sue Fidei, & in-  
telligentia Scripturarum tantum habent priva-  
tum Spiritum, sine potius proprij Capitis sen-  
sum, per quem advertit illos hactenus in varias  
Sectas discindi, neque de una fide, neque de ne-  
cessariis ad salutem fidei fundamentis inter se  
convenire, ut supra ostendi.

Quo pacto poterit Homo ille coram Dei tri-  
bunali suo errori excusationem prætendere?  
Habet ante oculos ab ipsis Apostolorum tem-  
poribus Ecclesiam antiquam, unam, omni ævo  
miraculis à Deo, & communī consensu ab ho-  
minibus comprobatam, in qua modò ipsi Pro-  
testantes fatentur nihil deesse in articulis ad sa-  
lutem necessariis.

Interea sciens ac volens salutem æternam  
credit Cætui paucorum hominum, apud quod  
jam palam fecimus nihil minus quam vera Ec-  
clesiæ Idæam aut umbram extare. Hoc certè  
aliud esse non potest quam clavis oculis velle  
errare, ac sponte perire.

Poterunt hæc oportunè personæ converten-  
dæ per amicas Interrogationes proponi, ut sta-  
tum suum sic clarius advertat, & veræ Ecclesiæ  
se adjungat.

BULLA